

possit, sic et nos debemus pro fratribus animas ponere, 1 Joan. 5, 16.

VERS. 18, 19. — Amen, amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quò tu non vis. Hoc autem dicit, significans quò morte clarificaturus esset Deum. Hunc invenit exitum ille negator et amator presumendo elatus; negando prostratus, flectendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus; hunc invenit exitum, ut pro ejus nomine perfectà dilectione moretetur, cum quo se moriturum perversà festinatione promiserat; faciat ejus resurrectione firmatus, quod immaturè pollicebatur infirmus. Hoc enim oportebat, ut priùs Christus pro Petri salute, deinde Petrus pro Christi predicatone moretetur. Præposteriorum fuit quod audere coepit humana temeritas, cum istum disposuisset ordinem Veritas. Animam suam se positurum pro Christo Petrus putabat, pro liberato liberandus; cum Christus venisset animam suam positurum pro suis omnibus, in quibus erat et Petrus. Nunc jam firmitas cordis ad suscipiendam mortem pro nomine Domini vera ipso donante samatur, non falsa nobis errantibus presumatur. Nunc est ut vite hujus non metamus interitum; quia resurgente Domino vite alterius præcessit exemplum. Hæc sunt S. Augustini, tract. 125 in Joannem. *Sequere me*. Christiani et præcipue pastores, in hoc totis viribus incumbere debent, ut Christum sequantur, imitentur, operibus ac laboribus suis, nec non rerum adversarum, persecutionum, et mortis etiam, si opus sit, tolerantiam Deum glorificent. Repugnabit natura; sed molestia quantacumque sit mortis, debet eam vincere vis amoris, quo amatur ille qui, cum sit vita nostra, etiam mortem voluit perferre pro nobis. Si pastor bonus qui possuit animam suam pro ovis suis, ex ipsis ovis tam multos sibi martyres fecit: quantum magis debent usque ad mortem pro veritate certare, et usque ad sanguinem adversus peccatum, quibus oves ipsas pascendas, hoc est, docendas regendas committit!

VERS. 22. — Dicit ei Jesus: Sic cum volo manere donec veniam; quid ad te? Tu me sequere. De aliis solliciti sint pastores ex charitate, non ex curiositate. Illis consulant, illos juvent, ut christianæ vite et sui status officia fideliter implcant: seò futuram illorum sortem Dei providentia relinquat et commendat: arcana Dei ne scrutentur. Christum amando, sequendo, pro veritate usque ad mortem certando felices se putent, et Deo gratias agant, cum pro ejus gloriâ aliquid patiuntur. Hæc vite activæ sors est, significatæ per Petrum: in Dei et mysteriorum ejus cognitione interim proficiant, et cognitionis amorisque sui consummationem in futurâ vitâ expectent, illam prægustent,

WOUTERS VITA.

Paucissima de præclaro auctore WOUTERS (F. Martino) novimus, nisi quòd, ex ordine Eremitarum S. Augustini, circa medium sæculi proximè elapsi, in Universitate Lovaniensi Theologiæ licentiatum, sacras Litteras

quantum dederit Dominus, ad eam suspirent; qua sors est vitæ contemplativæ significatæ per Joannem, ut egregiè S. Augustinus, tract. 124 in Joan., explicat. « Duas vitas, inquit, sibi divinitus prædicatas et commendatas novit Ecclesia, quarum una est in fide, altera in specie; una in tempore peregrinationis, altera in eternitate mansionis; una in labore, altera in requie; una in viâ, altera in patriâ; una in opere actionis, altera in mercede contemplationis; una declinat à malo, et facit bonum; altera nullum habet à quo declinet malum, et magnum habet quo fruatur bonum; una cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat; una fortis est in adversis, altera nihil sentit adversi; una carnales libidines frenat, altera spiritalibus delectationibus vacat; una est vincendi curâ sollicita, altera victoriæ pace secunda; una in tentationibus adjuvatur, altera sine ullâ tentatione in ipso Adjutore letatur; una subvenit indigentem, altera ibi est ubi nullum invenit indigentem; una aliena peccata ut sua sibi ignoscantur ignoscit; altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci; una flagellatur malis, non extollatur in bonis, altera tantâ plenitudine gratiæ caret omni malo, ut sine ullâ tentatione superbiæ cohercat summo bono: una bona et mala discernit, altera que sola bona sunt cernit: ergo una bona est, sed adhuc misera; altera melior et beata. Ista significatæ est per Apostolum Petrum, illa per Joannem. Tota hic agitur ista usque in hujus sæculi finem, et illic invenit finem: differtur illa complenda post hujus sæculi finem, sed in futuro sæculo non habet finem. Idè dicitur huic: *Sequere me*; de illo autem: *Sic cum volo manere donec veniam, quid ad te?* Tu me sequere, id est, tu me sequere per imitationem perferendi temporalia mala, ille manet donec sempiterna venio redditurus bona. Perfecta me sequatur actio, informata meæ passionis exemplo; inchoata verò contemplatio maneat donec venio, perficienda cum venero. »

VERS. 24, 25. — Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc: et scimus quia verum est testimonium ejus. Sunt autem et alia multa que fecit Jesus, que, si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Dilecti discipuli tui, et aliorum sanctorum Evangelii tui scriptorum testimonium summâ reverentiâ recipimus, Domine Jesu: quæcumque ab illis scripta sunt firmâ et humilî fide complectimur: quæ scripta non sunt adoramus; que scripta sunt, da ut pro modulo nostro hic capiamus quantum necesse est ad salutem; da ut legem tuam evangelicam diligamus et impleamus in viâ peregrinationis nostræ, ut mysteriorum evangelicorum veritatem in patriâ contempserim. Amen.

magis cum laude professus est. Ipsius opus *Dilucidationis selectarum sacræ Scripture Questionum*, in quo præcipue SS. Librorum difficultates juxta communem Patrum mentem explanantur necnon dilucidatæ inveniuntur, subtiliter, accuratè solidissimèque elaboratum ac valde utile pronuntiatur tum ejusdem ac ipse ordinis RR. approbatores, tum etiam haud pauci theologiæ sacramumque Literarum professores. Seminariorum in super usu potissimum celebratur, ac magno præsertim in pretio habetur in primo Galliarum seminario ejus in primis placitis annuente, presentem in concordiam et historiam evangelicam elucidationem exhibemus, ejusdem etiam auctoris in Acta apostolorum et in alios SS. Bibliorum libros lucubrations infra subdituri.

IN HISTORIAM ET CONCORDIAM EVANGELICAM DILUCIDATÆ QUÆSTIONES.

Præfatio.

« Inter omnes divinas auctoritates, quæ sanctis Litteris continentur, Evangelium meritò excellit. Quod enim Lex et Prophetæ futurum prænuuntiarunt, hoc redditum atque completum in Evangelio demonstratur. » Ita S. P. Aug., lib. 1 de Cons. evang., cap. 1. Porro, ut loquitur lib. 2 cont. Faust., cap. 2: « Ipsum nomen, si quaeratur, quid latine interpretetur, bonum nuntium dicitur Evangelium, vel bona annuntiatio. Quod quidem, cum aliquod bonum nuntiat, semper dici potest, propriè tamen hoc vocabulum obtinuit illa, quam dixi annuntiatio Salutatoris. » Rationem hujus ibidem paulò ante præmittit, dicens: « Narratores quippe originis, factorum, dictorum, passionum Domini nostri Jesu Christi, propriè dicti sunt evangelistæ. »

Multi quidem, ut S. Lucas initio sui Evangelii testis est, olim conati sunt res à Christo Domino gestas, seu Evangelium scripto omnibus patefacere. Unde, ut testatur D. Hieron., Proem. in Math.: *Est illud juxta Ægyptios, et Thomam, et Mathiam, et Bartholomæum, duodecimque apostolorum, et Basilidis, et Apellis ac reliquorum, quos enumerare longissimum est*. Et, lib. de Viris illustribus, in Jacobo dicit, se in Græcum Latinnique sermonem transivisse Evangelium, quod appellatur secundum Hebræos.

Sed ex tanto Evangeliorum numero Ecclesia, non nisi quatuor probavit, quia non nisi quatuor divino Spiritu scripta reperit. Nam, ut loquitur S. P. Aug., lib. 1 de Cons. evang., cap. 1. « Ceteri homines, qui de Domini, vel de apostolorum actibus aliqua scribere conati vel ausi sunt, non tales vel suis temporibus existierunt, ut eis fidem haberet Ecclesia, atque in auctoritatem canonicam sanctorum librorum eorum scripta recipere. Nec solum quia illi non tales erant, quibus narratibus credi oporteret, sed etiam quia scriptis suis quædam fallaciter indiderunt, que catholica atque apostolica regula fidei et sana doctrina condemnant. » Hujus quaternarii numeri propria ratio à divină voluntate pendet. Augustinus tamen loco mox citato, cap. 2, existimat, evangelistas fuisse ob hoc fortasse quatuor, quoniam quatuor sunt partes orbis terræ per cujus universitatem Christi Ecclesiam dilatari,

hoc sui numeri sacramento quodammodo declarantur.

Hos quatuor evangelistas juxta SS. Patres representantur quatuor animalia in visione Ezechielis cap. 1, et Joannis in Apocalypsi, cap. 4. Porro « Mathæus, inquit S. Hieron., lib. 4 cont. Jovinian., quasi de homine incipit scribere: *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*; Lucas à sacerdotio Zachariæ; Marcus à prophetiâ Malachiæ et Isaiæ. Primus habet faciem hominis, propter genealogiam; secundus faciem vituli, propter sacerdotium, tertius faciem leonis, propter vocem clamantis in deserto: *Parate viam Domini, rectas facite sentias ejus*: Joannes verò quasi aquila ad superna volat. » Interim, tamen, quia, ut observat S. P. Aug., lib. 1 de Cons. evang., cap. 6, in hæc animalium et evangelistarum comparatione non tam initia librorum quam tota scripturæ intentio ac scopus sunt ponderanda; illos interpretes præfert Augustinus, qui leonem in Mattheo, hominem in Marco, vitulum in Lucâ, aquilam in Joanne intellexerunt. Rationem hujus subjuxit S. doctor, dicens: « Multò enim congruentius ille qui regiam Christi personam maximè commendavit, per leonem significatus accipitur: unde et in Apocalypsi cum ipsâ tribu regis leo commemoratus est, ubi dictum est: *Vici leo de tribu Juda*.... Quod autem per vitulum Lucas significatus sit, propter maximam viciniam sacerdotis, neutri dubitaverunt.... Marcus ergo, qui neque stirpem regiam, neque sacerdotalem, vel cognitionem vel consecrationem narrare voluit, et tamen in eis versatus ostenditur que homo Christus operatus est, tantum hominis figurâ in illis quatuor animalibus significatus videtur. Hæc autem animalia tria, sive leo, sive homo, sive vitulus in terrâ gradiuntur. Unde isti tres evangelistæ in his maximè occupati sunt que Christus in carne operatus est et que præcepta mortalis vite exercende carnem portantibus tradidit. Atverò Joannes super nubila infirmitatis humanæ velut aquila volat, et lucem incommutabilis veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur. »

Horum autem quatuor solus Mattheus Hebræo (id est, Syriaco, Judæis ut plurimum tunc usitato) scri-

uisse perhibetur eloquio, ceteri Græco, inquit S. P. Aug., lib. 1 de Cons. evang., cap. 2. Porro Matthæus primus omnium scripsit Evangelium, testibus Hieronymo, Irenæo, Athanasio et aliis; idque Jerosolymis. Quod fecisse putatur rogatu discipulorum, et fuisse aliorum apostolorum. Exemplar illius Hebraicis conscriptum litteris secum apud Indos detulit S. Bartholomæus, ut docet Hieronymus; quod ibi ad Commodi tempora servatum esse notat Eusebius. In Græciam detulerat quoque S. Barnabas; cum ejus corpore ruptum esse sub Zenone imperatore refert auctor ejus Vita. Illud quoque pro concionibus exposuisse Jerosolymitanis S. Jacobum fratrem Domini scribit Athanasius. Nunc autem illud Evangelium cæ quæ scriptum est lingua non exstat. Nam illud Hebræo à Munstero editum, prorsus spurium; et Syriacum quod circumferatur, longè Matthei seculo recentius est.

Marcus autem discipulus et interpres S. Petri, juxta

CAPUT PRIMUM.

In diebus Herodis regis Judææ, Zachariæ sacerdoti seni per Archangelum Gabrielem, prope altare incensæ prædictæ, filium, qui Joannes sit nuncupandus, ipsi ex uxore Elisabeth sterili nasciturum, ipsamque usque ad horam eventus, ob incredulitatem, mutum permanurum. Non multo post concepit Elisabeth. Lucæ 1, à v. 5 usque ad 25.

QUESTIO PRIMA.

An Zacharias fuerit summus sacerdos; et quemam fuerit ejus deprecatio, quam angelus dicit esse exauditam.

Recentiores interpretes, qui contra S. Augustinum susinunt, quod altare thymiatis sive incensæ fuerit collocatum, non in Sancto sanctorum, ut vult Augustinus, sed in Sancto, etiam communiter dicunt, quod Zacharias non summus, sed tantum simplex sacerdos fuerit. Interim, cum, quest. 2 in cap. 50 Exodi, nullis argumentis probaverimus, quod altare incensæ in Sancto sanctorum collocatum fuerit et illud non simpliciter seu inferiores, sed soli summi sacerdotes ingredi possent:

Resp. et dico 1^o: Zacharias quidem non fuit summus sacerdos omnium, seu summus pontifex, sed tamen fuit summus sacerdos vicis suæ: ita ut fuerit in Synagoga ferè sicut jam sunt episcopi in Ecclesiâ, ejusdem quidem ordinis et characteris cum summo pontifice Romano, sed non tante jurisdictionis.

Ratio primæ partis est quod Zacharias ministraverit in ordine vicis suæ, ut dicit S. Lucas, cap. 1, v. 8. Atqui summus pontifex non ministrabat in ordine vicis suæ, sed quando volebat; ergo, etc.

Ratio secundæ partis est, quod Zachariam summum sacerdotem fuisse asserant S. Hieron., epist. 4, S. P. Aug., tract. 49 in Joan., alique veteres, quos citavimus, quest. 2 in cap. 50. Ergo admodum verisimile est quod fuerit summus sacerdos vicis suæ. Hoc autem ut melius intelligatur,

quod Petram referentem audierat, breve in Italiâ scripsit Evangelium; quod cum Petrus audisset, probavit et Ecclesiæ legendum suâ auctoritate dedit.

S. Lucas arte medicus, Antiochiâ Syriæ metropoli ortundus, cum videret multos Evangelicam historiam non rectè texisse, quos in initio sui Evangelii suggillat, sibi omni scribendi Evangelii, prout ex traditione apostolorum didicerat, zelosè assumpsit.

Demum Joannes Zebedæi filius, Jacobi Zebedæi frater, specialiter à Christo dilectus, apostolus et evangelista, qui supra pectus Domini recubuit, cui Christus moriens matrem semper Virginem virginem commendavit, adversus grassantes Ebionitarum et Cerinthianorum hereses Christi divinitatem negantium, rogatus ab Asiæ episcopis suum Evangelium scripsit, in quo Christi divinitatem contra mox memoratos hereticos ostendit, suppletque varia, quæ ab aliis evangelistis prætermissa sunt.

Notandum est quod, cum in lege veteri tantum foret unum templum, et unum altare, et sacerdotes acciperent partem sacrificiorum pro se, ne tandem fieret dissensio inter ipsos, rex David, 1 Paralip. 24, sacerdotem omnes distribuerit in viginti quatuor familias seu classes, et statuerit ut quælibet familia ministraret in septem hebdomadatim per vices; adeoque alternis septimanis una ex illis viginti quatuor familiis in templo deservire debebat. Sed cum quælibet familia certè plures haberet sacerdotes, videtur cujuslibet familie princeps fuisse summus sacerdos in ordine vicis suæ, seu familie; atque adeo præter summum pontificem fuerunt alii viginti quatuor summi sacerdotes, qui per vices thymiama incendebant in Sancto sanctorum, reliquis familie suæ sacerdotibus inferioribus alia munia obeuntibus.

Confirmatur hæc sententiâ, quia singulis septimanis poterat tantum unus sacerdos ex illis viginti quatuor ministrare, reliquis manentibus domi, ut scilicet omnes sacerdotes haberent vices suas, et potentiores alios non excluderent: atqui certè princeps ille familie non sufflebat solus pro omnibus sacrileis; nec etiam poterat esse solus, quia alia reliqui sacerdotes ipsius familie nunquam potuissent ministrare, adeoque nec de altari vivere. Ergo ille sacerdos qui ministrabat hæc septimanâ, incendebatque thymiama, debebat secum habere omnes sacerdotes suæ familie, et per consequens erat illorum quasi princeps.

Hoc posito, facile conciliantur auctoritates SS. Patrum, quorum varii dicunt Zachariam, patrem S. Joannis Baptiste, fuisse summum sacerdotem, alii verò negant ipsum fuisse summum sacerdotem. Etenim ad illos Patres qui negant, dicendum quod tantum negant ipsum fuisse summum pontificem; alii verò qui affirmant tantum volunt ipsum fuisse summum sacerdotem suæ familie; quod utrumque verum est.

Dico 2^o: Oratio, de qua dicit angelus: *Ne times, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua; et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, non fuit oratio quæ po-*

stulabat sibi nasciturum filium, sed fuit deprecatio pro salute populi.

Prob. 1^o quia Zacharias omnem spem accipiendi filium abjecerat, ut liquet ex v. 18. Ergo non petivit sibi nasciturum filium; siquidem nemo petit illud quod firmiter putat se non accepturum.

Prob. 2^o ex S. P. Aug., lib. 2 Quæst. Evang., cap. 1, ita scribente: « Quod Zacharias orans pro populo, audivit ab Angelo: *Exaudita est oratio tua. Ecce Elisabeth uxor tua concipiet et pariet filium...*; attendendum est quàm non est verisimile, ut cum pro populo peccatis, vel salute, vel redemptione illo offerret...; pro accipiendi filii oraret: præsertim quia nemo orat accipere quod se accepturum esse desperat. Usque adeo autem ille jam se habiturum filios desperabat, ut hoc angelo promittenti non crederet. Ergo quod et dicitur: *Exaudita est oratio tua*, pro populo intelligendum est, cujus populi quoniam salus et redemptio et peccatorum abolitio per Christum futura erat, ad hoc nuntiabatur Zachariæ filius nasciturus, quia præcursor Christi destinabatur. Ejusdem sententiæ sunt S. Chrysost., hom. de Nativ. S. Joannis Baptiste, Euthymius, Ven. Beda, alique citati apud Barradium.

QUESTIO II.

An peccaverit Zacharias non credendo angelo.

Zacharias audiens nuntium de nascituro sibi filio, v. 18, dixit ad angelum: *Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.* Quod licet peccaverit Zacharias, communiter admittunt omnes, et satis colligitur ex verbis angeli v. 20: *Eccis eris tacens, et non poteris loqui, usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis.* Unde S. P. Aug., lib. 50 Homiliarum, hom. 44, dicit: « Accipit Zacharias supplicium taciturnitatis merito infidelitatis; quia non credidit, tacuit. Si enim rectè dictum est, *credidit, propter quod locutus sum, quia Zacharias non crederat, merito non loquebatur.* »

Obj. 1^o: Non peccavit B. Virgo, dum angelo annuntiant incarnationem respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Ergo non peccavit Zacharias dicendo: *Unde hoc sciam, etc.*

Resp. Neg. conseq. Disparitatem dat Aug., loco citato, dicens: « Si verba attendamus, aut ambo creditur Zacharias et Maria, aut ambo dubitarent. Sed nos verba valemus audire, Deus potest et corda interrogare. Intelligimus, charissimi, quia Zacharias quando ait: *Per quid cognoscam hoc? Ego enim senex, et uxor mea progressior in diebus suis, desperando dixit, non inquirendo: Maria verò quando è contra ait: *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* inquirendo dixit, non desperando. »*

Quod autem B. Virgo crediderit, patet ex verbis Elisabeth, quæ Spiritu sancto repleta dixit: *Beata quæ creditisti.* Præterea Zacharias non habebat rationem quærendi vel signum vel modum, cum illius rei jam ante varia exempla præcessissent; ut de Sarâ, Rebecca, Annâ matre Samuelis, et matre Sam-

sonis. B. Virgo verò sollicita pro virginitate suâ, quam Deo voverat, meritò querit de modo, ne fortè cogeret concipere cum detrimento virginitatis, præsertim cum nullum prioribus seculis tale præcessisset exemplum, ut virgo pareret.

Nec obstat quod angelus afferat argumenta tanquam ad persuadendum, dicens non esse Deo impossibile omne verbum, et ipsam Elisabeth sterilem in senectute concepisse; quia angelus ista non dixit, ut B. Virgini probaret Dei omnipotentiam; hæc enim ipsa satis firmiter credebat, sed attulit ipsi exemplum, ut experientiâ disceret quod firmiter credebat. Sic ad Hebr. 5 dicitur Christus didicisse obedientiam ex iis, quæ passus est; qui tamen jam ante erat obediens ut pateret.

Obj. 2^o: Gen. 15, Abraham angelo promittenti ipsi, quod posterè ejus essent possessuri terram Chanaan, etiam reposuit: *Unde hoc scire possum?* Atqui Abraham hoc dicendo non peccavit; ergo nec Zacharias.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est quod Abraham hoc non dixerit ex infidelitate, sed ex desiderio sciendi modum rei, quam tamen credebat. Unde Gen. 15, v. 6, dicitur: *Credidit Abram Deo, et tantum v. 8 dicit Abraham: Unde hoc scire possum?* Ergo credebat antequàm illa verba diceret. Item ad Rom. 4, v. 20 et 21 de Abrahamo dicit Apostolus: *In reprobatione Dei non habuit diffidentiam, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissimè sciens quia quæcumque promissit, potens est et facere.* Atverò Zacharias ista verba protulit ex quadam diffidentia seu incredulitate; uti ex verbis Gabrielis supra citatis satis patet; et ideò ista dicendo peccavit.

Hinc ad similes paritates responderi potest verbis S. Augustini, lib. 22 cont. Faust., cap. 65, ubi inquit, quare David per verbum, *peccavi*, accepit veniam, et Saul per idem verbum *peccavi*, veniam non accepit; et respondet: *Quia in peccati voce quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod divinus oculus discernerebat.*

Obj. 5^o: Zacharias non debebat credere esse verum angelum qui ipsi loquebatur. Nam non ignorabat quod postea dixit Paulus, 2 Cor. 11, v. 14, solere Satanam se in angelum lucis transfigurare; et Joannes, epist. 1, cap. 4, non omni spiritui esse credendum, sed probandos spiritus, utrum ex Deo sint. Ergo sine illâ diffidentia et incredulitate potuit dicere: *Unde hoc sciam?*

Resp. Neg. ant. et conseq. Nam cum angelus omninò apertè se ostenderit, plurimæque legationis suæ signa præ se tulerit et exhibuerit, in hoc aliquis culpa fuit, quod ei non facile crediderit; sed multò tanten levior hæc culpa fuit, quàm si aut Deo, aut angelo, quem bonum esse, et Dei nomine loqui sciret, non credidisset. Unde Zacharias non peccavit hæc mortaliter; quia non pertinaciter, sed ex quadam mentis perturbatione verbis angeli discredidit.

Nec refert quod propter istam incredulitatem statim factus sit mutus. Quia illa pœnia non est indicium pec-

cati mortalis; siquidem non solum in penam, sed multo magis in signum et argumentum veritatis mutus factus est. Cum enim signum petenti Zacharie angelus daturus esset, prudenter illud dedit, quod et ad levandam penam, et ad faciendam fidem aptissimum erat. Hinc Ven. Beda in hunc locum dicit: *Dat signum quod rogatur, ut qui discredero locutus est, jam tacendo credere discat.*

QUESTIO III.

An Joannes Baptista fuerit sanctificatus in utero matris.

Resp. affirmativè. Prob. 1^o ex verbis angeli, v. 45 dicentis: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris sue.* Ex quibus omnino clarum ac evidens est quod Joannes fuerit sanctificatus in utero matris. Nam gratia Spiritus sancti non potest consistere cum peccato mortali.

Prob. 2^o ex SS. Patribus, quos annotatione 25 in cap. 1 Lucae adducit Toletus. S. Athanasius, serm. 4, contra Arianos dicit: *Permulti fuerunt sancti pari omnis criminis: siquidem Jeremias ex utero sanctificatus fuit; Joannes dum adhuc à gravidâ matre gestaretur, exultavit in gaudio ad vocem Desiparæ Virginis.* S. Cyrillus, epist. 75 de Joanne, ait: *Gratiâ divinâ in utero matris est impletus.* S. Ambrosius in cap. 1 Lucae dicit prius in Joanne fuisse spiritum gratiâ quam vitæ. Appellat autem spiritum vitæ aerem, quem continuâ respiracione accipimus, ita ut sensus sit: In utero nondum respirabat corpore, et habebat spiritum gratiæ. S. Cyrillus Jerosolym., catech. 5, de Joanne ait: *In utero matris cum gestaretur, à Spiritu sancto sanctificatus est.*

His omnibus etiam accedit S. P. Aug., lib. 45 de Trim., cap. 26, ubi probans Christum Dominum fuisse repletum dono gratiæ, quando in utero D. Virginis Verbum caro factum est, ita scribit: *Si enim de famulo ejus et precursore ipso Joanne scriptum est, Spiritu sancto replebitur jam inde ab utero matris sue, quoniam quamvis seminatus à patre, tamen Spiritum sanctum in utero formatum accepit; quid de homine Christo intelligendum est vel credendum, cujus carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritalis fuit?*

Obj. 1^o: S. Aug., epist. 57, docet solum Christum fuisse sanctificatum in utero, et sanctificationem Joannis Baptistæ esse aliquam sanctificationem quasi metaphoricam, quia nemo potest verè sanctificari nisi per baptismum in novâ lege, et per circumcisionem in veteri lege. Verba ejus sunt: *Hoc ergo excepto lapide angulari (id est, Christo), non video quo modo homines ædificentur in domum Dei, ad habendum in se inhabitantem Deum nisi eum fuerint renati, quod non possunt esse antequam nati. Quamlibet itaque sententiam de prægnantibus, imò de hominibus habeamus adhuc intra matris viscera constitutis, utrum existimemus eos, necne, donari posse aliquo sanctificationis modo; vel propter Joannem, qui nondum in hanc editus lucem, tamen exultavit in gaudio,*

quod utique nisi operatione Spiritus sancti fieri potuisse, quis credat? Vel propter Jeremiam, cui Dominus dicit: *Priusquam exires de vulvâ, sanctificavi te;* tamen illa sanctificatio, quâ effluunt singuli templi Dei, et in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt. Ergo manifestum est quod juxta mentem S. Augustini, Joannes non fuerit sanctificatus in utero matris, nisi sanctificatione quâdam metaphoricâ.

Resp. Neg. ant. et conseq. Nam quod juxta ejus mentem fuerit sanctificatus verè et reali sanctificatione, satis liquet ex loco supra citato, in quo ex sanctificatione Joannis in utero matris, probat, et à fortiori concludit quod Christus unctus sit Spiritu sancto, id est, repletus fuerit donis gratiæ ab initio conceptionis sue. Siquidem si tantum ageret de sanctificatione metaphoricâ, argumentum ejus non concluderet; quia non sequitur: Joannes Baptista in utero matris sanctificatus fuit aliquâ sanctificatione quasi metaphoricâ; ergo Christus unctus est Spiritu sancto, id est, donis gratiæ repletus fuit, quando in utero B. Virginis Verbum caro factum est. Itaque ad locum obiectum

Dico quod Aug. ibidem agat de lege Dei ordinariâ, quâ statuit nullum sanctificare nisi prius baptizetur, et abstrahat ab illâ questione, utrum Joannes et Jeremias fuerint in utero sanctificati, ut patet primò, ex verbis: *Quamlibet itaque sententiam de prægnantibus, etc.*, ac si diceret: Quidquid sit de Joanne et Jeremia, tamen dicendum est quod nullus puer sanctificatur ante baptismum.

Secundò, quia agit ibi contra Pelagianos, negantes peccatum originale, ac docentes quod parvuli concipiuntur et nascuntur sanctificati. Augustinus autem hoc negat de omnibus, excepto Christo, et dicit esse impossibile ut sanctificentur nisi fuerint nati, quia non possunt sanctificari nisi renascantur, et non possunt renasci nisi prius fuerint nati. Ergo Aug. agit de lege Dei ordinariâ; nam certè nec tam stupidus fuit, nec tam impius, ut doceret Deo impossibile esse puerum sanctificare in utero, vel sine baptismo.

Tertiò, quia respondet ibi ad questionem sibi propositam, scilicet an parvuli in utero constituti possint noscere Deum, et habere fidem. Ad hanc respondet negativè, et objicienti quod Joannes in utero matris constitutus crediderit, respondet, *Si usque adeo est in illo puero acceleratus usus rationis et voluntatis, et ut intra viscera matris jam possit agnoscere, credere, consentire, etc.*, hoc in miraculis habendum et divinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum est exemplum naturæ. Ergo agit de lege ordinariâ, et non negat hoc miraculosè posse fieri, aut factum esse.

Quartò, quia dicit ibidem: *Nec quod factum est in Joanne, contemno, nec inde regulam, quid sentiendum sit de parvulis, figo.*

Inst. Aug. dicit: Excepto solo Christo; ergo agit

etiam de lege extraordinariâ: Nam Christus miraculosè conceptus est.

Resp. Neg. cons. Nam, quamvis Christus fuerit miraculosè conceptus; non fuit tamen miraculosè immunis à peccato originali, quia non fuit conceptus ex semine vitato, sive quia, ut Aug. dicit, illum concepit et peperit non concupiscentia carnis, sed obedientia mentis.

Obj. 2^o: S. Hieron. in cap. 1 Jeremiæ dicit: *Quod autem sanctificatur in utero, juxta illud Apostoli debemus accipere: Postquam autem placuit ei, qui me segregavit de utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me; et evangelizarem illum gentibus.* Joannes quoque Baptista sanctificatur in utero, et sanctum Spiritum accipit, et movetur in vulvâ, et per os matris loquitur. Ergo juxta S. Hieron., sanctificatio Jeremiæ et S. Joannis, quæ facta est in utero matris, non est illa quæ fit per infusionem gratiæ habitualis, sed quæ fit per prædestinationem.

Resp. Neg. conseq. Quia S. Hieron. videtur tantum velle, quod Jeremias et Joannes non fuerint sanctificati à primo instanti conceptionis, sicut fuit Salvator, de quo statim addit: *Iste enim verè priusquam in utero formaretur, antequam exiret de vulvâ matris, sanctificatus in utero est, et notus Patri, in quo semper est Pater.* Fuerunt tamen sanctificati post animationem, adhuc in utero matris existentes. Hinc D. Thom. 3 p., q. 27, a. 2, ad 1, ait: *Dicendum quod Dominus dicit, ante sanctificationem in utero se Jeremiam non visse, notitia scilicet prædestinationis; sed sanctificatio esse dicit eum non ante formationem, sed antequam exiret de ventre.*

CAPUT II.

Gabriel angelus Mariæ Josepho desponsatæ annuntiat conceptum Jesu Filii Dei de Spiritu sancto. Mariæ cum festinatione convenit Elisabeth, quæ à Spiritu sancto omnem rem edocta, Mariam appellat matrem Dei. Mariæ verò postquam apud Elisabeth mansisset mensibus quasi tribus, reversa est in domum suam. Lucae 1, à v. 20 usque ad 36.

QUESTIO PRIMA.

An D. Virgo fuerit matrimonio juncta, dum Christum concepit.

Nonnulli antiqui, ut videre est apud Gratianum, quæst. 27, causâ 2, cap. *Quod autem*, et cap. *Institutum*, existimârunt D. Virginem nunquam fuisse matrimonio junctam, sed tantum desponsatam. Sed hæc sententia jam ab omnibus rejicitur, et meritò.

Primò, quia manifestè repugnat Scripturæ sacræ, quæ in multis locis Mariam uxorem Josephi, et vicissim Josephum appellat virum Mariæ.

Secundò, quia sponsalia nihil aliud sunt quam futurarum nuptiarum promissio. Si ergo post sponsalia inita non sit secutum matrimonium, violassent mutuum promissionem, et sic peccassent; quod tamen admitti nequit. Nec dici potest, quod obligationem ineundi matrimonium sibi invicem remiserint; quia in hoc supposito ab universâ synagoga, et populo non

potuissent haberi tanquam vir et uxor; item parentes non potuissent permittere ut morearentur sub eodem tecto, etc.

Tertiò, Ecclesia jam à multis annis festum desponsationis, seu matrimonii Mariæ cum Josepho, communi fidelium pietate celebrandum instituit. Cum igitur tota Ecclesia eos veneretur tanquam veros conjuges, omnino certum est, quod fuerint matrimonio juncti.

Alterâ sententia est eorum qui dicunt quod Mariæ usque ad illud tempus quo Joseph deprehendit illam gravidam (quod contigit post visitationem Elisabeth) tantum fuerit desponsata, et tunc Joseph eam accepit in conjugem, postquam ei angelus dixerat: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, Matth. 1, v. 20. Ita Hilarius in cap. 1 Matth., Basilus, hom. de humanâ Christi Generatione, Epiphanius, heresi 78, et vixissimè Bernardus Lamy in Concordiâ Evangelicâ.

Tertiâ sententia, quæ communiter sustinetur ab omnibus, docet quod D. Virgo fuerit matrimonio juncta Josepho ante annuntiationem Gabrielis archangeli. Et hæc, utpote verisimillima,

Prob. 1^o, quia Matth. 1, v. 19, dicitur Joseph vir Mariæ; et v. 20, ait angelus ad Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*; atqui vir et conjux in Scripturâ non dicitur nisi de matrimonio junctis; ergo D. Virgo jam inde erat matrimonio juncta, quando Joseph illam deprehendit esse gravidam; et consequenter dici nequit quod tunc tantum eam accepit in conjugem. Hinc S. P. Aug., lib. 3 de Cons. Evang., cap. 1, ita scribit: *Neque enim fas erat, ut ob hoc eum (Josephum) à conjugio Mariæ separandum putaret, quod non ex ejus concubitu, sed virgo pepererit Christum.*

Prob. 2^o ex Epist. S. Ignatii martyris ad Ephesios, ubi dicit Christum ideò à virgine nuptæ esse conceptum, quia volebat Deus ut ortus Messia latere dololet, dum eum putat non de virgine, sed de conjugatâ, more aliorum hominum, fuisse generatum. Atqui illa ratio non subsisteret, si D. Virgo concepisset antequam fuisset nupta; ergo, etc.

Prob. 3^o min., quia in istâ hypothesi novisset diabolus Mariam esse gravidam antequam jungeretur matrimonio, et cum aliundè etiam novisset castimoniam tam ipsius quam Josephi, et utriusque animum à libidine prorsus alienum, facile intellexisset, Mariam operatione Spiritus sancti concepisce, ac proinde ex eò nasciturum Messiam, seu Salvatorem mundi.

Dices: Equidem diabolus ex perspicacia sui ingenii potuisset benè cognoscere utrum Maria nupta et grava, esset adhuc virgo an non, v. g., ex signaculo virginitatis adhuc integro, vel ex eo quod nullum virum vidisset ad ipsam accedentem: item ex eo quod Christum utpote, conceptum et natum sine peccato originali, nunquam habuisset sub suâ potestate; ergo illa ratio nullo modo subsistit.

Resp. Nego conseq. Nam licet diabolus, etiam non obstante matrimonio, ista omnia cognoscere potuisset, si revera ad illa reflexisset, tamen non cognovit, quia

Deus istam ejus reflexionem statuerat impedire. Unde cum diabolus videret Mariam esse conjugatam, cetera mirari et speculari contempsit, matrimonium nimirum omnem illi impediende suspicionem.

Inst. Deus poterat omnem prorsus ejus reflexionem impedire; ergo, etiamsi Christus conceptus fuisset ex virgine inuapta, diabolus id ignorasset.

Resp. Disling. ant. Deus poterat id absolutè concedo; attento pulchriori ordine suæ providentiæ, nego ant. Multa enim vult Deus efficaciter fieri, sed certo ordine, ita ut, quamvis effectus divini voluntatis sit extraordinarius, tamen circumstantiæ sint ordinariæ. Sic voluit Davidem fieri regem, et simul vivere cum Saule et post Saulem; et tamen voluit simul, ut David mortem, toties à Saule intentatam, mediis ordinariis fugeret. Videri merentur lectiones secundi nocturni in festo Desponsationis D. Virginis.

Prob. 5^a: Si D. Virgo non fuisset matrimonio juncta ante visitationem Elisabeth, non fuisset satis consultius ejus honori, dum vicini vidissent eam gravidam; item dum scivissent eam accepisse puerum ante contractum matrimonium, vel saltem sex mensibus post contractum. Unde S. Ambros., lib. 2 in Luc., ait: «Maluit Dominus aliquos de suo ortu quam de matris pudore dubitare: sciebat enim temeram esse virginis verecundiam, lubricam famam pudoris; nec putavit ortus sui fidem matris injuriis astruendam.» Certè quod non suspecti fuissent parentes, dum filiam suam revidam à visitatione Elisabeth vidissent gravidam, et nondum nuptam? aut quomodo fuissent ausi eam nupti tradere, cum, juxta legem Deuter. 22, v. 21, si sponsa non inveniebatur virgo, ejectionem eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obrucunt viri civitatis illius, et morietur, etc. Deinde nec ipsa Maria fuisset ansa se gravidam presentare Joseph in matrimonium, sed potius sola domi mansisset.

Dices cum Lamy: Ideò Maria, Deo inspirante, visitavit Elisabeth, et exiit edictum Cæsaris, ut describeretur universus orbis, ut existens in Bethlehem, ibi pareret, et sic etiam vicinos lateret quoto matrimonio peperisset mense.

Resp. id esse merum commentum: nam equidem domesticis Elisabeth vidissent tandem tumentem illius uterum; item postquam fuisset reversa, et mox matrimonio juncta, cognati et vicini, et ad nuptias invitati aequè facile vidissent eam esse gravidam, ac hoc vidit Josephus; et quidem paulò post id satis vidissent et bene reflexissent, presertim femine, quòd gestaret uterum plus quam ab una aut alià septimana.

Solvuntur argumenta.

Obj. 1^a: Maria, Lucae 1, dicitur desponsata viro, sicut et Matth. 1, v. 18: *Cum esset desponsata*. Ergo nondum erat nupta.

Resp. Neg. conseq. Nam illa quæ nupta est vocatur etiam desponsata, quamdiù matrimonium non est consummatum. Sic, Lucae 2, dicitur Josephuisse in Bethlehem, ut proficeretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore. Atqui juxta omnes erat tunc nupta; ergo, etc.

Item Matth. 1, v. 20: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Et v. 24: *Accipit conjugem suam*. Ergo, quamvis vocetur desponsata, erat tamen conjux. Plura alia loca, in quibus conjuges dicuntur sponsi, addidit auctor Analyseos in Evang., dissert. 2, signanter ex Deuter. 22, v. 25; Osee 4, Isaiæ 62, Jeremia 7, v. 34, et cap. 25, v. 10; Joelis 2, lib. 1 Machab., c. 9, etc.

Inst. Dicitur Matth. 1: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*: Ergo nondum accepit; et consequenter textus intelligi debet hoc modo: *Noli timere accipere Mariam in conjugem tuam*. Item ibidem, v. 24: *Exurgens autem Joseph à somno... accepit conjugem suam*. Atqui si modo habuisset, non debuisset eam accipere; ergo, etc.

Resp. Neg. min. et conseq. Nam cum ibidem, v. 18, dicitur: *Joseph... voluit occultè dimittere eam*, satis evidens est, quòd jam indè eam in conjugem habere. Si enim nondum habuisset, non potuisset dimittere. Cum igitur voluerit dimittere, et angelus illi dixerit ut acciperet eam, *accipere ibidem simul pro retinere, seu, non dimittere*. Unde S. Ambros., lib. 2 in Luc., ait: *Quam non accepit, nemo dimittit, et idè qui volebat dimittere, fatebatur acceptam*. Item Lucae 1 dicit Maria ad angelum: *Quomodo fiet istud, quoniam virum (subintelligo meum) non cognosco*. Non potuisset autem tunc temporis Josephum vocare virum suum, si nondum fuisset nupta, sed dicere potius debuisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum necdum habeo?*

Obj. 2^a: Dicitur Matth. 1, v. 18: *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequàm convenirent*. Ergo nondum convenerat, scilicet ad habitandum simul, ut exponit Remigius; adeòquè nondum erant matrimonio juncti.

Resp. Neg. conseq. Illa enim verba non sunt intelligenda de cohabitatione, sed de conventionem ad consummandum matrimonium. Nam ideò addita sunt ab evangelistâ, ut designaretur stupor Josephi, dum videbat Mariam gravidam, antequàm consummasset matrimonium. Alias enim potuissent consummare, antequàm convenirent, id est, simul habitarent; quia ad licitè consummandum matrimonium non requiritur ut vir et mulier habitent simul, sed sufficit quòd sint legitimo matrimonio juncti. Verba itaque illa: *Antequàm convenirent*, de conventionem ad habitandum non sunt exponenda; jam enim Maria, ut docent SS. Patres, Chrysost., hom. 4 in Matth., et Ambros., lib. 2 in Luc., intus erat, et in eisdem ædibus cum Josepho habitabat. Unde D. Thom., 5 p., q. 29, a. 2, ad 5, ait: «Beata Virgo sic fuit desponsata Joseph, quòd etiam esset domi habita: nam sicut in eâ qua in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis, sic in eâ quæ extra domum concipit, est suspecta conceptio; et ita non esset sufficienter provisum fama beatae Virginis.»

Inst. S. Thom. ibidem dicit: «Quamvis tamen esset domi habita propter primam desponsationis fidem, nondum tamen intervenerat sollemnis celebratio nuptiarum, propter quòd etiam nondum carnaliter convenerat. Unde, sicut Chrysost., dicit, non ait

evangelistâ: Antequàm duceretur in domum sponsi, et enim intus jam erat. Consuetudo enim erat veteribus, ut sponsæ in sponsorum domibus haberentur, et idè etiam angelus dicit Joseph: *Ne timeas accipere Mariam, id est, ne timeas nuptias ejus solemniter celebrare.* Ergo dum venit angelus nondum erat nupta, sic ut possent carnaliter convenire.

Resp. Neg. conseq. Nam, cum dicitur Matth. 1, v. 24: *Joseph... fecit sicut præceperat ei angelus, et accepit conjugem suam*, sequeretur, quòd celebraverit nuptias cum sponsâ tribus mensibus gravida; quòd tamen admitti nequit: quia in hoc supposito honori D. Virginis, ejusque Filii sufficienter provisum non fuisset.

Dicendum itaque quòd, quando sponsa in domum sponsi ducebantur, tunc etiam simul nubarent, licet fortè postea opportuno tempore nuptias celebrarent; quia tunc non requirebatur illa peculiaris solemnitas ad matrimonium, sufficebat enim utriusque consensus. Si enim non nupsissent tunc, ista consuetudo, si tamen reverè extisterit, fuisset mala et improbanda; nam sponsus et sponsa mutuo amore ardentes, etc., non facile se continuissent. Dico: *Si tamen reverè extisterit*; nam illius consuetudinis nullum exstat in Scripturâ exemplum, sed potius constat de opposito.

Obj. 3^a: Non potest ex Scripturâ probari, quòd Maria fuerit conjugata, nisi quia vocatur *uxor et conjux*, et Joseph dicitur *vir ejus*: atqui nihil indè sequitur; ergo, etc.

Prob. min. ex Patribus. S. Bernardus, hom. 2 super Missus dicit: *Virum nominat evangelista Josephum, non quia maritus, sed quia homo virtutis erat*. Iterum ibidem: *Nec viri matris, nec filii patris Joseph existit*. S. Hilarius, in cap. 1 Matth., ait: *Quotiescumque de utroque (id est, de Virgine et Josepho) fit sermo, mater potius Christi Virgo, quia id erat, non uxor Josephi est nuncupata, quia non erat*. S. Gregorius, hom. 26 in Evang., ita scribit: *Dominus Mariam habere sponsum voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit*. Et S. Aug., serm. 15 de Natali Domini: *Concepti Virgo, antequàm sponsum haberet, parit antequàm nubat*. Similiter S. Hieron., in cap. 1 Matth., ad illa verba, v. 16: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, dicit: Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum, sed recordare consuetudinis Scripturæ, quòd sponsi viri, et sponsæ dicantur uxores.*

Resp. 1^a: Si illa verba Patrum, crudè spectata, combinentur cum Scripturâ, involvunt apertam contradictionem. Etenim juxta Scripturam, Maria erat sponsa, sive desponsata; juxta id quòd citatum est ex serm. 15 de Natali Domini, non erat sponsa, dum concepit. Juxta Scripturam, Joseph erat vir ejus; juxta S. Hieron., tantum erat sponsus. Juxta S. Bernardum, erat vir ejus, quia erat homo virtutis: sed hæc ratione videtur potius vocari vir omnium feminarum, et Maria uxor omnium virorum: quia ambo erant homines virtutis, non solum respectu sui mutuo, sed respectu omnium aliorum, itaque directè ad argumentum

Resp. 2^a illos Patres nihil aliud velle quam quòd non fuerint conjuges ex matrimonio consummato, quamvis fuerint veri conjuges ex matrimonio rato. Nuptiæ ergo sumuntur ab illis Patribus pro consummatione matrimonii. Unde S. Ambros., lib. de Instit. virg., cap. 6, ait: «Cum enim initiatur conjugium, et tunc conjugii nomen adsciscitur; non enim defloratio virginis facit conjugium, sed pacto conjugialis. Cum jungitur puella, conjugium est, non cum virili admixtione cognoscitur.» Et S. P. Aug., lib. 1 de Nupt. et Concupisc., cap. 11: «Neque enim fallaciter ab angelo dictum est ad Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Conjux vocatur ex primâ fide desponsationis, quam concubitu non cognoverat, nec fuerat cognita. Nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commixtio.»

Ad verba autem quæ ex serm. 13, seu potius 9 de Natali Domini allata sunt, dico illa non esse S. Augustini; nam sermo 9 et 15 sunt apocryphi, et ad appendix tomii ultimi à Benedictinis rejeci.

Obj. 4^a: D. Virgo ab ineunte ætate virginatatem voverat; ergo matrimonium non contraxit: nam si contraxisset, peccasset.

Resp. Neg. conseq., quia, cum ad valorem matrimonii non requiratur consensus in commercio carnale, uti docetur in theologia, clarum ac evidens est quòd votum continentiæ non repugnet matrimonio; adeòquè D. Virgo non peccavit illud ineundo. Præterea si peccasset ineundo matrimonium, etiam peccasset ineundo sponsalia. Nam, si matrimonium repugnet voto, quia per illud tradunt sibi conjuges jus in re ad mutua corpora, pariter repugnant sponsalia, quia per hæc tradunt sibi jus ad rem ad mutua corpora.

QUÆSTIO II.

Cur D. Virgo fuerit turbata, et quandonam Christus sit conceptus.

Resp. et dico 1^a: Juxta S. Ambros., lib. 2 de Virginitibus, turbata est quia videbat virum. Idem docet in cap. 1 Lucae dicens: *Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere*. S. Bernardus, hom. 3 super Missus, putat turbatam fuisse quia angelus ille quem videbat, poterat esse angelus Satae, qui se transfugeret in angelum lucis. Alii alias dant rationes; sed ille omnes videntur dellectere à litterâ, et ad summum possunt esse bonæ pro concionatoribus. Quare

Dico 2^a: D. Virgo turbata fuit propter insolitam salutationem, quâ ipsam angelus adeò laudabat.

Probat ut claris verbis Evangelii Lucae 1, v. 29: *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista saluatio*. Ergo turbata fuit humillima Virgo, quia audiebat sibi dari tantas laudes.

Prob. conseq., quia angelus volens ab illa auferre turbationem et timorem, affert rationem, quare illam in salutatione vocaverit gratiâ plenam, dicens: *Invenisti enim gratiam apud Deum*.

Dico 3^o: Videntur aliqui auctores à Maldonato citati, docuisse quod Christus fuerit conceptus, antequam angelus venerit ad D. Virginem, vel saltem dum dixit: *Dominus tecum*. Attamen quòd tantum fuerit conceptus, dum Maria consensit, dicens: *Ece ancilla Domini*, etc., clarè patet ex ipso Evangelio. Nam post illa verba: *Dominus tecum*, dicit illi angelus: *Ece concipies in utero*; ergo nondum conceperat, dum angelus ad ipsam ingressus erat. Et iterum: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideòque et quod nascetur ex te sanctum*, etc. Ergo dum angelus ingrediebatur ad D. Virginem, eamque salutabat dicens: *Dominus tecum*, Christus necdum erat conceptus.

Obj. 1^o: In textu græco loco nascetur habetur γεννησεται, id est, quod ex te natum; ergo Christus jam inde conceptus, seu in utero D. Virginis natus erat, quando angelus eam salutabat.

Resp. Neg. consequens, quia sensus textus Græci non est, quod ex te conceptum, seu in utero jam natum est, sed, quod ex te conceptum, seu natum fuerit; ut observat Jansenius. Unde participium Græcum non supponit pro præterito, sed pro futuro; prout noster interpres illud vertit, et prout liquet ex contextu.

Obj. 2^o: S. Hieron., epist. 140, dicit: *Maria, quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo divinitatis habitabat corporaliter, gratia plena salutatur*. Item D. Thom., 5 p., q. 30, a. 4, O, dicit: *In hac salutatione præmissi angelus idoneitatem Virginis ad conceptionem, dicens: GRATIA PLENA. Expressit conceptum, in hoc, quod dixit: DOMINUS TECUM*.

Resp. S. Hieron. ut verbo conceperat pro conceptura erat; aliàs ab ipso recedendum esset. S. Thom. autem non dicit, ad illa verba conceptum fuisse Dominum, sed illa verba expressisse ejus conceptum, seu conceptionem mox futuram; nam paulò post dicit: *Intendebat eam instruere de mysterio incarnationis, quod in ea erat implendum, quod quidem fecit in præmittendo conceptum et partum, dicens: Ece concipies in utero*.

QUESTIO III.

An D. Virgo interfuerit natiuitati S. Joannis Baptistæ.

Postquam D. Virgo Christum conceperat, abiit in montana, in civitate Juda, et ingressa domum Zachariæ, salutavit Elisabeth. Civitas illa verisimiliter fuit Hebron. Nam hæc sita erat in montanis, et erat civitas Juda, et civitas sacerdotalis, ut constat ex Josue 21; adeòque omnia illi conveniunt, quæ evangelista de ista civitate dicit. Ita Baronius in Apparatu, Toletus, Tirinus ac alii communiter. Dicit autem S. Lucas, cap. 1, v. 36, quòd Maria manserit cum Elisabeth quasi mensibus tribus; circa quæ verba oritur questio, an apud Elisabeth manserit usque ad nativitatem S. Joannis Baptistæ. Ad quam questionem

Resp. probabilis affirmativè.

Prob. 1^o quia constat ex cap. 1 S. Lucæ, v. 36, quòd, quando angelus nuntiabat Mariæ incarnationem Christi, Elisabeth esset sex mensibus gravida, fortè iam ferè completis; deinde quòd post discessum an-

geli Maria ierit visitatum Elisabeth, et manserit cum illa quasi mensibus tribus. Atqui communiter femina tantum novem mensibus gestat uterum; ergo videtur mansisse usque ad nativitatem S. Joannis.

Prob. 2^o quia non videtur ulla ratio cur Maria mansisset tandiù apud Elisabetham, nisi ut assisteret nativitati Joannis, admirabilis istius pueri, futuri præcursoris Messie, etc. Non est ergo credibile quòd manserit usque ad partum, et instante partu abiverit; nam hoc omnibus apparuisse esse contra urbanitatem et charitatem. Et reverà, nisi D. Virgo voluisset interesse nativitati S. Joannis, haud dubiè statim post visitationem factam, aut certè post paucos dies domum ad virum suum reversa fuisset, ait Estius.

Prob. 3^o ex S. Ambrosio in cap. 1 Lucæ dicente: *Tandiù mansit Maria, quandiù Elisabetha pariendi tempus impletet*. Item Beda dicit: *Tandiù mansit Virgo, donec præcursoris, propter quam maximè venerat, nativitatem videret*.

Obj. 1^o: Indecens fuisset ut maneret Virgo apud feminam parientem.

Resp. Neg. assumpt. Nam ab obstrictibus non putabatur esse virgo, cum jam esset tribus mensibus gravida. Præterea tempore partus non debet necessariò esse in eodem cum Elisabeth cubiculo.

Obj. 2^o: Quando Maria abiit in montana, Elisabeth gestabat uterum sexto tantum mense, qui poterat esse inchoatus, pone ad diem decimum quintam, et Maria mansit cum illa tantum, quasi, id est, ferè, mensibus tribus; ergo non mansit usque ad partum. Nam femine non solent parere, nisi circa initium decimi mensis. Ita auctor Analyseos.

Resp. Neg. ant., quia verba angeli: *Ece Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua; et hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis*, videntur habere hunc sensum: Elisabeth, quamvis senex et sterilis, tamen jam est gravida à sex mensibus; qui sensus importat, menses istos ferè fuisse finitos. Saltem sic intelligit Ecclesia, quæ nativitatem S. Joannis ponit præcisè tribus mensibus post Annuntiationem. Deinde, cum ex Evangelio non pateat quòd Maria discesserit ex Nazareth eadem die quæ angelus illi annuntiativè Incarnationem, dici potest quòd discesserit aliquot diebus post. Unde evangelista non dicit: *Exsurgens Maria illo die*, sed: *Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana*; quæ phrasi satis insinuat illam non statim, seu eodem die abivisse, sed aliquò diebus post. Denique non est etiam generaliter verum quòd femine non pariant nisi decimo mense inchoato: nam multe pariunt ante finem noni mensis.

Inst. Dicit evangelista quòd Maria ierit in montana cum festinatione; ergo statim abiit post discessum angeli.

Resp. Neg. consequens, quia eò cum festinatione non refertur ad tempus, sed ad iter, ita ut significetur, quòd, quando abiit, ierit cum festinatione, non herendo in viâ. Putant tamen multi quòd hæserit aliquo tempore Jerosolymis in templo, ut Deo pro tanto bene-

CAPUT III.

Maria tribus mensibus gravida revertitur ex Hebron in Nazareth. Joseph autem videns illam gravidam, volebat eam cohabitare; et cum esset justus, etiam volebat traducere: quare ut periculo esse subduceret, voluit occultè dimittere eam; sed ab angelo rei veritatem edoctus, conjugem suam retinuit, Matth. 1, à v. 18 usque ad 25. Sed antequam evangelista hæc describat, enumerat ab initio cap. usque ad v. 17, progenitores, ex quibus Christus secundum carnem descendit.

QUESTIO PRIMA.

An Christus descendat ex Davide.

Fanustus Manichæus, ne cogeret lateri Christum ex stirpe regis Davidis esse oriundum, negavit genealogiam à Mathæo descriptam esse Evangelium. Hunc errorè refutat S. Augustinus.

Resp., et dico: Christus genus suum traxit ex stirpe Davidis. Resolutio hæc est de fide, et

Prob. 1^o ex testimoniis Scripturæ utriusque Testamenti. Psal. 88, dicit Deus de Davide: *Senel juravi in sancto meo..... semen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo*, etc. Psal. 131: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Item, 2 Reg. 7, v. 12, dicit Deus Davidi: *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse edificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium*. Atqui, quamvis illa verba in sensu litterali figurato intelligantur de Salomone, tamen in sensu litterali proprio intelliguntur de Christo; ergo, etc.

Prob. 2^o, quia Apostolus illa verba litteraliter applicat Christo ad Heb. 1, v. 5, dicens: *Cui enim dixit aliquando angelorum..... Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium?* Vide desuper plura, quæst. univèr. in cap. 7 lib. 2 Regum.

Item Isaia 44, v. 4 dicitur: *Egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet*. Quæ verba Rabbini de Messia intelligunt.

S. Mathæus Evangelium suum exorditur dicens: *Liber generationis Jesu Christi filii David, etc.* Porrò si Christus reverà non fuisset ortus ex familia David, et quidem per Salomone, Mathæus ab initio sui Evangelii omnem fidem sibi abrogasset; quia Evangelium suum scripsit in gratiam Judæorum, jam recenser ad fidem conversorum, qui optimè sciebant genealogias: nam, teste Josepho, lib. 1 cont. Apionem, servabant integras genealogias, tam privatum, quam publicè in tabularis sacris, et in publicis archivis, idque maximà curâ, eorum præsertim qui erant ex tribu Levi et Juda. Et quidem ex tribu Levi, ne quis alienus ab illa tribu invasisset sacerdotium; ex tribu autem Juda ab Messiam ex eâ nascentur. At verò quia promissio generalis de nascituro Messia ex tribu Juda, postea restricta fuit ad familiam Davidis, ideò Judæi nihil religiosius servabant, quam tabulas genealogicas illorum qui à Davide genus suum ducebant, ut testatur Julius Africanus, epist. ad Aristidem,

Obj. 3^o: S. Lucas narrat nativitatem Joannis post discessum D. Virginis; ergo reversa est in domum suam, antequam Joannes esset natus.

Resp. Neg. consequens. Quia narrat nativitatem Joannis per figuram recapitulationis, quæ satis frequens est in Scripturis, et in historicis. Narrat igitur evangelista prius discessum D. Virginis quam nativitatem Joannis, ut absolvat quòd de visitatione ejus dicere volebat; sed postea recapitulando redit ad ea quæ dicere intendebat de Joanne. Sic in fine cap. 1 de eodem Joanne dicit: *Puer autem crecebat et confortabatur spiritu; et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israël*. Postea autem cap. 2 narrat quòd exierit edictum à Cæsare Augusto, cap. 2 narrat quòd exierit edictum à Cæsare Augusto, et tamen inde certò non sequitur quòd Joannes fuerit in deserto ante exitum istius edicti; ergo similiter non sequitur quòd D. Virgo reversa sit in domum suam ante nativitatem Joannis.

Inst. 1^o: Si D. Virgo mansisset usque ad nativitatem Joannis, haud dubiè desuper aliquam mentionem fecisset S. Lucas.

Resp. Quòd sufficientem fecerit, dicendo quòd manserit ibi quasi, seu circiter, tribus mensibus; ut liquet ex supra dictis.

Inst. 2^o: Dicit evangelista quòd die octavo venerit circumcidere puerum, et voluerint ipsum vocare Zachariam. Atqui si Maria fuisset ibi, facile potuisset compescere vicinos, dicendo cum Elisabeth quòd deberet vocari Joannes. Adeòque non debuissent amici innuere patri ejus Zachariæ, ut significaret, quomodò vellet filium suum vocari. Deinde si Maria fuisset inter istos amicos, evangelista hoc non tacuisset. Ita rursus auctor Analyseos.

Resp. Quamvis Maria manserit usque ad nativitatem Joannis, non tamen inde sequitur quòd manserit usque ad circumcisionem. Nam si, ut auctor præfatus prætendit, non decuerit virginem adesse nativitati, multò minus decuit adesse circumcisioni. Præterea etiam supposito quòd Maria tunc ibi fuerit, tamen evangelista non fecit mentionem de presentia ipsius, quia D. Virgo, pro sua humilitate, noluit se immiscere isti contentioni consanguineorum et amicorum; multò minus ut argumentum supponit, ibi primas partes agere tanquam prophetissa.